



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 78. Et ipse avulsus est ab eis, quantum iactus lapidis. v. 41.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Benignissime Iesu cur non dicis: vt orent tui discipuli à patre cœlesti, ne eos inducat in tentationem? Sed jubes orare; vt ipsi non intrent in eam? An id, quod olim docuisti per verbum, non inducendi hic magis perspicue doces verbo non intrandi? Ita sane credo: sed & vna doces me, Domine, orationes, siue aspirationes, jaculares, quæ sunt breuis aspiratio in Deum, per particulas magnarum orationum. Gratias ago tibi Domine pro explanatione Et pro doctiōe orationum jacularium, quando vel indispositio, vel occupatio, vel infirmitas non patitur orationes prolixas.

§. 78. *Et ipse avulsus est ab eis, quantum iactus lapidis. v. 41.*

Postquam secundam militiæ suæ stationem Imperator noster Christus adornauerat, & mandatis suis instruxerat, quid orarent, ne tentationi succumberent aduersario cibraturo ipsos. Etiam, vti addit S. Mathæus & Marcus, indixerat, vt sustinerent ibi, & vigilarent secum: ipse in tertium horri locum processit vterius, nimirum ad lapidis iactum. Sed quid est hoc, quod Dominus dicitur avulsus esse ab illis, nempe à discipulis suis, & quare avulso ipsa Domini mensuratur, vel ponderatur iactu lapidis? queramus, si forte inueniamus, pulsemus, si forte aperiatur nobis: bonum est hoc nobis, si Domino docente discamus; Quid autem docet Dominus? se avulsam esse à suis Quomodo avulsus? quia conglutinator erat cum eis non glutino artis humanæ, sed caritatis diuinæ. Sed quid avulsum eum? ita conglutinatum? eadem quæ agglutinauerat caritas, etiam avulsum. Mira res, vt vniat eadem res homines & diuellat. Noli mirari, gluten hoc quod arte humana fabricatur, si liquatum applicas, vnit: si siccas tumpit: Hoc facit & caritas: sed quantum abrumpit? vel quantum avulsus est Dominus à discipulis suis? certe non procul, qui adeo conglutinator erat; & hoc indicat mensura avulsioni adhibita, nempe quantum est lapidis iactus. Quantum autem est lapidis iactus? certe non magnum spatium facit quia natua gravitate se procul ferri vetat etiam si connitaris procul iactare.

Domine Deus Salutaris meus, Agnosco in te caritatem maiorem, quam omnes illi, qui à se discedunt amici, ostendere soleant. Horum enim aliquis sponte recedit, et si alij id ægrè ferant. Tu autem discedens ægerrimè recedis, & ideo diceris *Auelli*, & ita auelleris, sicuti lapis proiectus motu violento ferri solet. Utinam ego quoque, vel nos homines tibi sic adhaerere creamus, sicuti tu nobis adhaeres caritate.

§. 79. *Et postis genibus orabat. v. 41.*

Jam Dominus noster relictis, vt dictum est, suis hominibus, solus est. Soli